

## Alte Drucke

# Davidis Chytræi In Historiam Iosvæ, Iudicvm, Rvth, in Prophetas & Psalmos aliquot; & Sententias Syracidæ

Chytræus, David

Lipsiae, 1592

VD16 C 2504 T. II

Caput XVIII.

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

**urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148122**

Idolatriam significat, vt 1. Reg. 15. Et quasi scelus idololatriæ est nolle adqui-  
escere seu reluctari, vbi in Hebræo est ותרפויש הרצור ואון. *Impleuitq; manus*) Con-  
secrauit in sacerdotem traditis in manus filij panibus, laganis, carnib. sacrifi-  
ciorum, & alijs rebus Deo offerendis, Exod. 20. *Alter adolescens*) Nomine Io-  
nathas, quod in fine cap. 18. extat. *Bethlehem Iuda*) ad discrimē alterius Beth-  
lehem in tribu Zabulon, Ios. 19. בית לחם domus panis, in qua panis vitæ Do-  
minus noster Iesus Christus ex virgine Maria natus est, Matth. 2. Luc. 2. Mich.  
5. Quæ eadem fuit patria regis Dauidis, 1. Reg. 16. Abfuit duobus miliari-  
bus à Ierosolymis versus meridiem. *Ex cognatione eius*) scilicet Iudæ, inculcat  
enim huius Leuitæ patriam fuisse Bethlehem in tribu Iuda, non alteram in  
tribu Zabulon. *Eratq; ipse Leustes*) Non habens propriam possessionem & do-  
micilium, vt nati in cæteris tribubus, sed instar pauperis scholastici vagaba-  
tur quærens conditionem. Etsi enim decimæ alendis Leuitis lege diuina de-  
stinatæ erant, tamen in tanta hominum impietate & auaritia malignè solue-  
bantur. Ideò passim vagari, & victum mendicando quætere multi cogeban-  
tur. *Dabo tibi decem argenteos*) Stipendium sacrificuli sunt quinq; Ioachimi-  
ci, & vestis duplex, hyberna & æstiuæ, cum libero victu. Approbat autem hic  
Leuita ventris causa quamcumq; religionem, modò victum & amictum ha-  
bere possit.

## Caput XVIII.

**H**ISTORIA tribus Dan, rapientis idolum Michæ, & plures ac vbe-  
riores agros, ex quibus se ac suos honestius alant, inquirentis, ac  
oppidum Lais securum occupantis: aliquot locos consideratu vti-  
les continet, quos breuissimè annotabo.

I. De necessitate, dignitate & beneficijs Magistratus politici, Φύλακῶ-  
ν, quo vigilante & officium suum sedulò faciente, ad normam LEGIS,  
quam vult Deus generis humani reatricem esse, externi subditorum mores  
honeste reguntur, & suum cuiq; tribuitur ac defenditur, & externa delicta ac  
scelera, blasphemix, impij cultus, idola, libidines, rapinæ seuerè prohibentur  
ac vindicantur. Rursus igitur inculcat, Non fuisse regem in Israël, qui idolo-  
latriam, bonorum alienorum direptiones, & similia delicta coërceret ac pu-  
niret. Ideo potentioribus, quod libuit, licuit. Deinde quod ad sortem tribus  
Dan attinet, constat à Iosua eam Danitis designatam & attributam fuisse re-  
gionem maritimam prope Ioppen & Azotum, ad ripas fl. Sorec, inter tribum  
Iuda & Ephraim, Ios. 19. Cum autem in plenam & integram possessionem  
nondum venisset: & crescente contribulium numero, angustius in Iudææ fi-  
nibus habitarent, & à cæteris tribubus quietem & sua commoda quærenti-  
bus fortasè negligerentur: coloniam in oppidum regionis Roob, in extre-  
mis Palæstinæ finibus ad radices Libani deducunt, quam de suæ tribus con-  
ditore, Dan nominarunt.

II. DE CONSULENDO in rebus agendis DOMINO: & regula vitæ  
vnica, consilio seu verbo Domini: admonitionem vtilissimam cap. 1. reci-  
tauimus, quæ præsentis historiæ Danitarum, nomine suo Dominum per sa-  
cerdotem consuli rogantium, occasione repetatur. Etsi autem Danitæ sa-  
cerdotem idolatram interrogantes, vt Saul Pythonem, Croesus Apollinem  
Delphicum, Iulianus Necromanticum cōsulens, grauissimè peccant: quia non

prælucente vera fide & verbo Dei, imò contra expressum Dei mandatum, quod vetat, ab idolis veritatem sciscitari, impium idoli sacrificulum consulant: vt in Papatu milites in bellum profecturi, Missam S. Georgij vel Sebastiani, pro se celebrari curant: nec illis curæ est, an bona vel mala sit Missa: men nos exemplo Danitarum admoniti, omissis idolis, eorumque sacrificiis, Deum verum: & veri Dei *ὁρατῶν*, in consilijs rerum agendarum capiendis interrogemus, ac primùm, nihil nisi normæ actionum nostrarum diuinitus propositæ videlicet legi seu verbo Dei congruens, nobis agendum: deinde, necessaria tantum & propria nostræ vocationis officia diuinitus mandata, diligenter & sedulò obeunda: nec curiositate in alieni muneris officia irumpendum esse statuamus. Nec nostra sapientia & viribus res magnas & salutares à nobis geri posse sciamus, sed quotidiana & ardentis inuocatione à Deo recta & salutaria consilia, commodas occasiones, auxilium & successus secundos exoremus. Ierm. 10. Scio Domine, quod non est hominis via erui, nec est viri dirigere gressus suos. Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere: Nullius est felix conatus & utilis vnquam, Consilium si non detque iuuetque Deus. Hanc vtilissimam vitæ regulam hoc loco repetamus.

*IV. Viderunt populum habitantem in ea securum & ociosum.* De fugienda remis velisque Securitate, quæ est sine cura, sine metu iræ ac iudicij diuini, negligere insidias hostis diaboli, & indulgere ocio ac voluptatibus, & vitiosis cupiditatibus frenos laxare. Quibus obsequentes, in tristissimos lapsus & calamitates incidunt, & iram Dei ac pœnas præsentis & æternas sibi accersunt. Vt enim populus Lais, securus & ociosus à Danitis oppressus est, ita Dauid, Salomon & alij innumerabiles, in ocio & rebus secundis lapsi sunt, vt dicitur: Res secundæ etiam sapientum animos fatigant. Item, Ocio securis insidiosa nocent. Cùm enim in rebus secundis paulatim cura & motus iræ ac iudicij diuini aduersus peccatum languescat & extinguatur: remoto timore Dei, velut custode caterarum virtutum, facilè diabolus, instar rugientis leonis circumciens, & in omnes occasiones intentus, stertentes & incautos adoritur, & in peccata & lapsus ac æternum exitium impulsos & precipitatos deuorare conatur, 1. Petr. 5. & Ephes. 6. Non est nobis bellum aduersus carnem & sanguinem (corporales hostes) sed aduersus principes & potestates & Dominos tenebrarum mundi huius, aduersus nequam spiritus in aère vagantes. Hi omnibus momentis, intenti in omnes occasiones, nobis insidiantur, instillando mentibus falsas opiniones & errores in consilijs aut dogmatibus, & Epicureas aut Academicas dubitationes, quas ignis diaboli tela Paulus appellat. Deinde alendo & confirmando in voluntatibus & cordibus hominum, incendia affectuum vitiosorum, odij, inuidiæ, ambitionis, superbiæ, libidinum. 3. Obijciendo externas illecebras & occasiones lapsuum, vt Dauidi Bethsabeam, Absaloni spem consequendi regnum paternum. Quartò, Frangendo animos rebus aduersis, inopia, morbis, infamia, exilijs, persecutionibus & supplicijs, quorum metu plurimos à vera fide & confessione auellit. Multò autem plures fatigat & euertit securos, in ocio & rebus secundis, Pectora dum gaudent, nec sunt astricta dolore, Ipsa parent, blanda tunc subit arte Satan. Virtus opposita securitati est TIMOR Dei metu iræ ac iudicij diuini frenans cupiditates & vitans delicta. Item VIOLANTIA, quæ nõ modò corporis somnum, sed etiam animi veterum ac temporum, negligentem insidias ac potentiam Diaboli & labores vocationis, ex animis excutit, & in quotidiana inuocatione, & vitandis lapsuum, occasionibus,

sonibus, & cæteris vitæ consilijs & actionibus regendis, debitam attentionem, curam & assiduitatem præstat. Item: SEDVLITAS, quæ labores suæ vocationis diligenter & fideliter facit. Nam honesti labores, velut freni sunt, qui compescunt vitiosas cupiditates. Nec vlla est vel nequissimi hominis amplior custodia (vt Columellæ verbis vtar) quàm quotidiana operis exactio. Lib. II.  
Verum enim est illud Marci Catonis oraculum: Nihil agendo homines male agere discunt. Ad has virtutes, tanquam munimenta & arma, quibus instructi, vim & insidias Satanæ vitemus; accedat Fides, omnia tela diaboli ignita extinguens, non indulgens dubitationibus, quas nobis diabolus vel caro nostra suggerit, sed corporis & mentis oculos, in solum verbum à Deo traditum defixos habens, quod vnica vitæ & salutis nostræ ancora est, à qua, nullis cogitationibus, nullis rebus secundis vel aduersis depelli se patiatur. Ergo fides innixa Deo trepidantia firmet Pectora, & in mœsto securum tempore tempus Præsumat confisa Deo. nam non metuendi Fidere causa Deo. fidant legionibus illi, Nulla salutiferi quibus est fiducia Christi, Nos crucis inuictæ signum & confessio munit, Armatiq; Deo mentem, non quærimus arma Corporis, &c.

V. *Raptus idoli Michæ.* Et si, vt nostro tempore, sacrilegia bonorum ecclesiasticorum, prætextu abolitæ idololatriæ & impietatis Pontificiæ, & restitutæ veræ religionis, excusari solent: ita Danitæ, suo raptui fucum simili specie illinere fortasse potuerunt: tamen simpliciter & vere iudicando, scelerata rapina, sacrilegium & plagium fuit. Non enim erant Danitæ magistratus loci illius ordinarij, ad quorum officium pertineret, externi idoli & cultuum impiorum abolitio, sed res alienas & sacras, contra voluntatem Domini contrectant & abripiunt, & repositæ legitimo Domino reddere recusant, & cultus impios ac idolatricos ipsi restitunt ac tuentur, & ad posteritatem transmittunt. Et si igitur passio Michæ idolatræ iusta est: tamen actio Danitarum nulla ratione excusari potest, quod de rapinis bonorum Ecclesiasticorum, in prophanos vsus, luxum, conuiuia & pompas aulicas profusorum, verissimè affirmatur.

VI. *Deos meos abstulisti*) Psal. 115. Idola seu simulacra illorum argentum & aurum, opera manuum hominum: Os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt, manus habent, & non palpabunt, &c. similes illis fiant, qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis. Summa enim cœcitas & insania est, eiusmodi Deos, domuum suarum & urbium præsidio & tutelæ præficere, qui seipso & suas imagines aduersus raptores & prædones defendere ac tueri non possunt. Confer Baruch. cap. 6. & Sapien. 13. 14. 15.

VII. *Videns, quod fortiores se essent*) ἄφρων ὅς κ' ἐβέλει πρὸς κρείσσονας ἀντιφύραται, Νίκης τε σέρεται, πρὸς δ' αἰσχρὸν ἄλγεα πάσχει. Hoc enim Epimythio, Luscinia ab accipitre direptæ Apologum, Hesiodus concludit.

*Lais*) oppidum in tribu Aser, non procul à Ptolemaide, in tabula Palestina collocatur ad gradum long. 67. lat. 33. sed propius Libano & fontibus Iordanis fuisse, ex sine capitis apparet. *Leo* vel Tigris. *Nullo eis penitus resistente, magnarumq; opum*) non habebant inimicum aut Dominum, nemo erat qui eis vim inferret, & nemo erat Dominus eorum. *A cunctis hominibus separatum*) non negociabantur cum alijs hominibus.

*Cariathiarim*) oppidum tribus Benjamin (Iof. 18.) quod Gabaonitis antea subiectum fuit, à syluis nomen habet, celebre postea hospitio arcae foederis, à Philistinis reductæ, 1. Reg. 6.7. 2. Reg. 6.1. Paralip. 13. *Ephod, Theraphim*) vide proximo superiori capite. *In ore gladij*) acie seu cuspide gladij, Ebr. 4. μάχαιραν δίσκομον, gladium ancipitem. *In regione Roob*) in finibus tribuum Aser & Nephtalim, ad radices montis Libani, vbi Lais non procul à fontibus Iordanis situm fuit. חרוב latitudo. *Jonathan*) à Deo datus, vel Domini donum. proprium nomen adolescentis Bethlemitæ, sacerdotis Michæ. *Filium Gersan*) גרשם peregrinus. *Filij Menasse*) מנשה obliuiosus, vel obliuisci faciens. *Vsq. ad diem captiuitatis suæ*) quo arca fuit capta, tempore Heli. *Quo fuit domus Dei in Silo*) סילו oppidum in finibus tribuum Ephraim, Benjamin & Iuda situm, vno à Ierosolymis miliari versus occisum æstiuum, in quo sedes tabernaculi vsque ad Samuelis tempora fuit. Psal. 78.1. Reg. 1.4. שילוש Salus, felix, fortunatus.

## Caput XIX.

**G**ABAITARVM libido nefanda, excidio totius vrbs, & deletione tribus Benjamin punita: primùm in genere, de vera, seria & horrenda IRA & iudicio DEI aduersus omnis generis peccata, & imprimis libidines vagas & nefarias admonet. & hortatur nos, vt excussa securitate prophana, ad verum timorem Dei exuscitemur, & metu iræ ac iudicij diuini frenemus vitiosas cupiditates, & vitemus delicta, & ad normam voluntatis & legis Dei, vitam & mores nostros conformemus. Præcipuè autem de libidinum foedarum poenis præsentibus ac æternis toti humano generi concionatur, quas Deus, qui est mens iusta & casta, primùm priuatione gratiæ suæ, desertione spiritus sancti, & amissione vitæ & salutis æternæ seuerissimè punit, 1. Cor. 6. Ne erretis, nec scortatores, nec adulteri, nec molles, nec Sodomitæ, regnum Dei hæreditabunt. Ephes. 5. Omnis scortator & immundus non habebit hæreditatem in regno Christi & Dei. Nemo vos decipiat inanibus sermonibus (quod scortatio non sit peccatum) propter hæc enim venit ira Dei super inobedientes. Tertullianus: Cum omnes templum Dei simus, illato in nos & consecrato Spiritu Dei sancto, eius templi æditus & custos pudicitia est, quæ nihil immundum aut prophanum inferri sinat: ne Deus ille qui inhabitat, inquinatam sedem offensus derelinquat. Altera poena est cæcitas & amentia errans in opinionibus, consilijs, negotijs, ac ruens veluti à Deo maledicta & abiecta, in exitium suum & aliorum. Rom. 1. Qui dediderunt se turpibus & abominandis libidinibus, tradidit eos Deus in reprobam mentem, vt deserti & abiecti à Deo errent & ruant in perniciem præsentem & æternam. Ephes. 4. Alieni sunt à Deo propter cæcitatem cordis, qui dedoluerunt, & dediderunt se lasciuia. Osee 4. Fornicatio & ebrietas auferunt cor, vt Salomonem ipsum dementant mulieres, vt cultum idolorum stabiliat, & hoc loco, Gabaitæ amentes, & de sanitate ac mente deturbati, hospitem Bethlemitam ad libidinem exposcunt.

Ὅταν ᾗδ ὀργὴ δαιμόνων βλάβῃ τινα,  
τῆτ' αὐτὸ πρῶτον ἐξαφαιρῆται φρενῶν  
τὸν νῦν τὸν ἐσθλόν. εἰς δὲ τιμὴν χεῖρῶν τρέπῃ